Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35496
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



quibus modis ipsum poterit impugnare Quod po-
terit impugnari multipliciter Quandoque ratione fili
quandoque ratione forme quandoque ratione impetra-
tis quandoque ratione eius ad quem impetratur quandoque
ratione defectus quandoque ratione cause et aliis
modis quibus poterit impugnari etc.

Rescriptum potest multipliciter impugnari

Primo igitur excipere potest contra rescriptum ratione
falsi videlicet quod est falsa bulla vel carta vel
filum ut no. de c. fal. c. licet et c. ad falsariorum
et de fi. inst. c. inter Cognoscitur autem falsitas illius
modis Primo quando cum falso modulo falsa bulla
formatur que falsis litteris apponitur Secundo cum filum
de vera bulla totaliter extrahatur et per aliud filum
immissum in ipsa bulla falsis litteris inseritur
Item cum filum sub plicatura littere incidit et ipsa
littera excutitur et postea vera bulla cum ipso filo
falso apponitur et deinde filum sub plicatura
cum vero filo restauratur quod de facili cognos-
citur si filorum adunitio et equalitas attenditur
Item quod in una parte bulle debet esse scriptum nomen
pape litteras concedentis et caput sancti Petri etiam
debet habere circuitum orbicularem de punctis Ex
alia parte debet esse caput sancti pauli calvum
et irsutum cum barba prolixa Et caput sancti
Petri pilosum cum barba rotunda et gratum
et utrumque caput circumdatur circulo punctorum et
inter ipsa capita est crux prolixa habens in

Exceptiones contra rescriptum apostolicum

Qualiter falsitas rescripti cognoscatur

Vo litera bulla stilus manus altera rasio filum
hec tibi papale faciunt cognoscere scriptum